

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Dolor g  
cum fonte primo

Turpissimum est in homine prudenti  
remedium meroris lassitudo merendi;  
malo relinquas dolorem quam ab illo relinquare.

Annum feminis constituere maiores ad lugendum,  
non ut tamdiu lugerent sed ne diutius.  
Viris nullum legitimum tempus est  
quia nullum honestum.  
Quam michi ex illis mulierculis dabis,  
uix retractatis a rogo, uix a cadavere revulsis,  
cui lacrime in totum mensem durauerint?  
Nulla res cicius in odium uenit quam dolor  
qui recens consolatorem inuenit  
et aliquos ad se adducit,  
inueteratus uero deridetur nec immerito.  
Aut enim simulatus aut stultus est.

Seneca LXIII. epistola.

Turpissimum autem est in homine prudente  
remedium maeroris lassitudo maerendi:  
malo relinquas dolorem quam ab illo relinquare;  
et quam primum id facere desiste quod,  
etiam si voles, diu facere non poteris.  
Annum feminis ad lugendum constituere maiores,  
non ut tam diu lugerent, sed ne diutius:  
viris nullum legitimum tempus est,  
quia nullum honestum.  
Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis  
vix retractatis a rogo, vix a cadavere revulsis,  
cui lacrimae in totum mensem duraverint?  
Nulla res citius in odium venit quam dolor,  
qui recens consolatorem invenit  
et aliquos ad se adducit,  
inveteratus vero deridetur, nec immerito;  
aut enim simulatus aut stultus est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 63.12-13 (L. Reynolds ed., vol.1, p.172, ll.11-22).